

# D E H U M A N I S L I T T E R I S

## IN QUINCTI HORATI FLACCI QUAEDAM CARMINA COMMENTARII

DE SUO PARENTE, NATURA UIUENDIQUE GENERE DICIT POETA

**H**IC poeta, Epist. XX, Lib. I, Ad librum suum, quaedam est dicere promptus de sua uita primaeuis annis belli, ut scimus, domique transactis, ac de sua origine, moribusque, ut refert, nempe:

*Cum tibi sol tepidus plures admouerit aures,  
Me libertino natum patre et in temni re  
Maiores pennas nido extendisse loqueris,  
Ut quantum generi demas uirtutibus addas;  
Me primis Urbis belli placuisse domique;  
Corporis exigui, praeccanum, solibus aptum,  
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

Quamuis quisque diceret angusta natus poeta et modica re familiari, nam pauper erat, uirtute tamen et ingenii praestantia tenuitatem, et humilitatem generis sui illustrasse, atque extulisse. Quod, bene intuitibus, praecipuum est, cetera nil spectantia.

Libertino erat patre natus, et ut quidam aiebant salsamentario, sed in hoc gloriabatur Horatius, ut patet ex uersibus Satyrae VI, Lib. I, dicentibus:

*Non, quia, Macenas, Lydorum quidquid Etruscos  
Incoluit fines, nemo generosius est te;  
Nec, quod auus tibi maternus fuit atque paternus  
Olim qui magnis legionibus imperitarent;  
Ut plerique solent, naso suspensis adunco  
Ignotos, ut me libertino patre natum:  
Cum referre negas, quali sit quisque parente  
Natus, dum ingenuus. Persuades hoc tibi uere,*

Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum  
multos saepe viros nullis maioribus ortos  
Et uixisse probos, amplis et honoribus auctos.

Sed fulgente trahit constrictos gloria currū  
Non minus ignotos generosis.....  
Nume ad me redeo, libertino patre natum,  
Quem rodunt omnes libertino patre natum,  
Nume, quia sum tibi, Maccenas, conuictor, at olim  
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

In qua humili suac originis confessione, plena amore erga patrem, Horatius, absque uerecundia, immo corde pleno arrogantiae, sese offerebat omnium admirationi, aliter ac alii, qui antiquum et inlustre genus ostentantes, ipsi nulla uirtute clari, imo saepe uitiis turpes. Sunt enim qui, gaudentes tanquam omni deliciarum mari, prisco procedere ab Inacho maximum honorem reputent, stemmataque maiorum suorum magni aestiment quasi gloriae ac nobilitatis signum. Nil est quod tale reprobem aut in tali re succendam, cum nobilis et inlustres huius modi homines omnes mihi insanire uideantur. Nam, ut asserit recte Iuuinalis,

Stemmata quid faciunt? Quid prodest, Pontic, longo  
Sanguine censeri, pictosque ostendere uultus  
Maiorum, et stantes in curribus Aemilianos,  
Et Curios iam dimidios, humeroque minorem  
Cornuum, et Galbam oculis naso carentem?

Nil refert profecto utrum multas opes habeas, atria plena sint imaginibus maiorum tuorum, si forte cares uirtute aut tam es intelligentia destitutus ut Midas rex, cui et auriculae asini uidebantur. Quid sentiret de hac re Seneca philosophus, ex his mirabiliter dictis connectare potes: Nobilem non facit atrium fumosis imaginibus: animus facit nobilem... Et de Benef. cap. 28: Qui imagines in atrio expnunt, et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte aedium collocant, noti magis quam nobiles sunt. Ac eleganter lepidissimeque Cicero, aut qui fuerit auctor illius declamationis in Sallustium: Quoniam omnium maiores Sallustius ad unum exemplum et regulam quaerit, uelim mihi respondeat numquid ii, quos protulit, Scipiones, et Metellos, uel Fabios, ante fuerint aut opinionis, aut gloriae, quam eos res gestae suae, et uita innocentissime acta commendauit. Quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non aque de nobis existimetur? cuius et res gestae illustres sunt, et uita integerrime acta. Quasi uero tu sis ab illis uiris, Sallusti, ortus: quod si esses, nonnullos iam tuae turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus uirtute mea praeluxi; ut, si prius noti non fuerint, a me accipient initium memoriae suae; tu tuis uita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; ut, etiam si fuerint egregii ciues, certe uenerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos uiros obiectare.

Satius est enim, me meis rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti; et ita uiuere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, et uirtutis exemplum.

Bene dictum sane, quicumque fuerit auctor istius declamationis, quia si Ciceronem hominem nouum consideremus, ut quidam rodebant eum, magnam sibi gloriam adeptus est et uinit uiuetque semper, quot annos Latii litteras uiuant.

Caeterum, ut dixit Ouidius Metamorph., 13:

... Genus, et proauos, et quae non fecimus ipsi  
Uix ea nostra uoco.....

Quorsum haec? Ut probeimus aliquos, etiam humili genere nati, ad summum rerum fastigium denenerunt, sicuti ex sequentibus videbis exemplis. Incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cepit: eiusdem adulescentia in pecore pascendo occupata fuit; ualidior actas imperium Romanum rexit et duplicitauit; senectus, excellentissimis decoribus decorata, in altissimo maiestatis fastigio fulsit. Verum Tullus, etsi magnus et admirabilis incrementi, domesticum tamen exemplum est, si credimus Ualerio Maximo, *De factis et factorum memorabilium*. Lib. III, Cap. IV. Tarquinium autem Priscum ad Romanum imperium occupandum fortuna in Urbem nostram aduexit; alienum, quod Etruseum, alieniorem, quod ortum Corintho; fastidiendum, quod mercatore genitum; erubescendum, quod etiam exsule Demarato natum patre. Ceterum tam prosperum condicione suae euentum industria sua pro inuidioso gloriosum reddidit. Dilatauit imperii fines, cultum deorum nouis sacerdotiis auxit, numerum senatus amplificauit, equestrem ordinem uberiorem reliquit; quaque laudum eius consummatio est, praeclaris uirtutibus effecit ne haec ciuitas poenitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuata esset quam de suis legisset.

Quoad exteris attinet, insequitur Ualerius, Socrates non solum consensu, uerum etiam, Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phaenarete matre obstetrica et Sophronisco patre marmorario genitus ad clarissimum lumen gloriae excessit, neque immerito; nam, cum eruditissimorum uirorum ingenia in disputatione caeca vagarentur mensurasque solis et lunae et ceterorum siderum loquacibus magis quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam nundi ambitum complecti auderent, primus ab his doctis erroribus abductum animum intima condicione humanae ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coegit; si virtus per se ipsa aestimetur, uitae magister optimus.

Quoad alios spectat, proauorum meorum priscorum congesta serie unus clarissimus Sebastianus Belalcazar, qui natura constitutus ad orbem perdomandum, cum multos populos regionesque huiuscet mundi subegisset, ac uarias quorundam gentium ciuitates arcesque struisset, humili fuit tamen origine et in suo pago hispanensi ignotus. Sed uideres cum ab humili tugurio uel in caelum ascendere, ut prae se haberet secum signa portantes imperatores, ac quam latum est imperium australe sub calce concideret. Sic pastor hominum gregumque nobilissimarum factus ut imperium habere meruerit. Tanta est laus illi

duci et populorum bellorumque uictori, ut, qui minimus fuit omnium patria sua, hic maximus postea haberetur, cum nobilitas non in maioribus, quia ullam habuit, sed in eo ipso merito incipit et sita est. Hinc factus est pastor hominum ut sciant omnes nobilitatem sitam uiribus animi. Haec sola et uera nobilitas.

*Tota licet ueteres exornent undique cerae  
Atria, nobilitas sola est atque unica uirtus.*

(Iuu. Sat. VIII, L9-20).

Non quin ex meis atuais non habeam quos Hispaniae magnos, ut appellantur, fuere, ut ille Fernandezius Uelasco aliquie proceres; sed neque tumeo illorum sanguine, cum ipse nil fecerim ut posteritatis admirationi commendem, aliter ac ille Rubelius superbus ac uanus, cui Juvenalis dixit, Satyr. VIII, carminibus 40 et ss.:

*... Tumes Drusorum sanguine, tanquam  
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis essem  
Ut te conciperet, quae sanguine fulge Iuli,  
Non quae uentoso conducta sub aggere texit.  
Uos humilis, inquit, uulgi per ultima nostri,  
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.  
Ast ego Cecropides.....*

Tumefactus erat nempe Rubelius; attamen, quor superbiebat? Non nisi Cecropides erat, quia nec intelligentia, nec eruditione clarus, solum splendoris nomen habebat, et ipse asinus.

*Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,  
Quod possim titulis incidere praeter honores.  
Quos illis damus, et dedimus quibus omnia debes.  
Haec satis ad iuuenem, quem nobis fama superbium  
Tradit, et inflatum, plenimque Nerone propinquuo.  
Rarus enim ferme sensus communis in illa  
Fortuna.....  
... Miserum est aliorum incumbere famae  
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.*

Et quamuis homo ex humili natus esset loco, quid ad hoc? Nonne in contemptum Sallustius Ciceroni dixerat: "Homo nouus" et tamen fuit hic Romae parens primorique omnium?

*Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit?*

Tandem, si omnes ab uno patre et matre originem ducimus, quare superbire fas est?

*Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,  
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.*

(Iuu. Sat. VIII, 274-275).

Primordia Romae pastores fuisse satis constat veteribus historicis, cum ipse Romulus esset pastor, teste Uarrone, De Re Rust. L. 2, c. I, ubi fert: Romanum populum pastoribus esse ortum quis non dicit? Quis Faustulum nescit pastorem fuisse, nutritum et educatorem Remi ac Romuli?

At quod Iuuinalis de origine patrum nostrorum praeteriit, seu noluit dicere, Ludouicus Prateus hisce uerbis facit commentarios in *Illud quid dicere nolo*: Prae pudore et uerecundia nimirum: sicarius, parricida, latro, raptor, spurius, sacrilegus, etc. Nam ex eiusmodi hominum colluic conflatus est initio populus Romanus. Ipsum quidem Romulum iam, ex Eutropio, latronem diximus; fratricidam omnes referunt; spuriū satis indicant tum alii cum Dion. Halit. L. 2, ubi ait, Remum quidem ac Romulum per matrem ab Aenca ortos; at de patre eorum nihil esse certi. Adde incestuosam eorum matrem Iliam; et raptore Sabinarum uirginum Romanos. Iustin. L. 38: Tales, inquit, Reges Romani habuere, quorum etiam nominibus erubescant: aut pastores Aborigine, aut haruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut seruus uernasque Tuscorum; aut, quod honoratissimum inter haec nomen, Superbos, etc. . . .

Quapropter, undenam Cecropidum genus? Quamuis nulla est tanta humilitas, quac dulcedine gloriae non tangatur, ut ait Ualerius, qui gloriam habere conantur illud ob oculos scriptum meminerint: *Memento, homo, quia pulvis es et in puluerem reuenteris.*

Horatius, nihil est pudore suffusus propter humilitatem ac uilitatem originis sua, at sequuius confitetur. Quid illi ingenii clarissimi uatis probrosius? quid enim illi cachynnis ante omnia subiectus? Cum roderent cum libertino patre natum? Non preclaro patre, certe, sed uita et pectore puro, ut aiebat Horatius. Et in hoc gloria et magna laus apud posteros, quia

Si neque auaritiam, neque sordes, aut mala lustra  
Obiciet uere quisquam mihi; purus et insons  
(Ut me collaudem) si et uiuo carus amicis:  
Causa fuit pater his, que macro pauper agello  
Noluit in Flavi ludum me mittere, magnum  
Quo pueri magnus e Centurionibus orti,  
Lacuo suspensi loculos tabulamque lacerto,  
Iabant octonis referentes Idibus aera;  
Sed puerum est ausus Romanum portare, docendum  
Artes, quas doceat quiuis Eques atque Senator  
Semet prognatos. Uestem seruosque sequentes,  
In magno ut populo, si quis uidisset, auita  
Ex te praeberi sumptus mihi crederet illos.  
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes  
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,  
Qui primum uirtutis honos, scravuit ab omni  
Non solum facto, uerum opprobrio quoque turpi:  
Nec timuit, sibi ne uitio uerteret, olim  
Si praeceo paruas, aut, ut fuit ipse, coactor  
Mercedes sequerer; neque ego essem questus: at hoc nunc

Laus illi debetur et a me gratia maior.  
 Nil me poeniteat sanum patris huius: coque  
 Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,  
 Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,  
 Sic me defendam. Longe mea discrepat istis  
 Et uox et ratio. Nam si natura iuberet  
 A certis annis acuum remeare peractum,  
 Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes  
 Optaret sibi quisque, meis contentus honestos  
 Fascibus et sellis nolim mihi sumere: demens  
 Iudicio uulgi, sanus fortasse tuo, quod  
 Nolle opus, haud unquam solitus, portare molestuni.

(Sat. VI, Lib. I, 60-91).

Mirabile dictum! Et quod Horati cor bonum pietatemque erga patrem significat! Nam, quid purpura gloriaris et maioribus, sciscitur Carolus Scribanus, S. J. Philos. Christian. Sola uirtute distinguimur. Pari namque sorte nascimur, pari cadimus; quod intercurrit uix Comediae scenam implet.

Quid ergo tunes sanguine Drusorum procedere cum omnes, tam palatiis nati quam frondea domo, pares nascimur et pares quoquo die morimur? Licet in quibusdam quod intercurrit purpura fulgeat, gemma splendeat, auro luceat, instat ille philosophus, in aliis trita uix tegatur lacerna; momenta tamen nascendi et moriendi acquant omnes, sceptaque ligonibus; intermedia scenae et theatro similia, ubi exieris personamque posueris, nulla prerrogativa purpureac est, nulla tiarac. Iam omne illud scenicum quam incertum est? quam leuis cortina finem statuit? Nec spectat exitum; sed in medio adeoque in limine scenae speratae rapimur miseri; nomina daturi, o si non crudeli aeternaturee tragediac, in ignibus nullo acuo ponendis, nullo mitigandis! Et intuciamur magnorum retro nominum uanitatem proprius. Quis nostrum millearios maiores numeret? quis annorum quingentorum? quanta pars nec trecentesimum, ac ne ducentissimum quidem annum attingit? Quod ultra est, quis enumeret? Quod si quos supra hunc numerum consequuti fuerimus, quantos fors a securibus et func, a rota et ignibus, aut ab ultima omnino facce inter maiores recensemus? Sane ut quam longissime genus ducamus, a ligonibus et aratro, a colo et sareculo omnis origo est.

Et tamen uento superbiae elati originem omnibus communem memoria excidimus!

Nil interest tunc si patrem non habuimus Inachum, cum sunnos posse uiros et magna exemplo daturos ueruecum in patria, crassoque sub acre nasci. Si labascimur omnes et ruimus profundo mortis imperio, pelagoque,

... Quid innuginibus, quid autis fulta triumphis  
 Atria, quid pleni numero consule fasti  
 Profuerint, cum uita labat? perit omnis in illo  
 Nobilitas, cuius laus est in origine sola.

*Quod si praccipitem rapit ambitus atque libido,  
Incipit ipsorum contra te stare parcum  
Nobilitas, claramque faciem praetere pudendis.*

Et quid refert patres humiles habuisse si clari quodammodo sunt nepotes? Augustum patre, ut ait De Colonia, auoque argentario, natum esse ut, nonnulli uoluere: proaum uere habuisse libertinum: auum autem maternum fuisse pistorem Ariciae, quod illi non semel exprobrauit Antonius, teste Suetonio.

Bene quidem Scribanus qui in hanc sententiam fatur, stat:

*Quid genus et proauios strepitis?  
Si primordia uestra  
Auctoremque Deum spectes,  
Nullus degener extat,  
Ne uitiis peiora fouens  
Proprium deserat ortum.*

Ni se uoluntaria iniuria seruituti addixerit. Et scrututi est addere, uitiis animam tradere cum a Deo creati simus et illi soli inseruire debeamus. Illi soli gloriemur oportet, cum iam dixit Seneca ad Lucilium, XCI: *Acquat omnes cinis: impares nascimur, pares morimur.*

Et in ea consolatione, quam tulit Seneca ad Marciam de natura hominis uana et fluxa et instabili, sic egregie effatur: *Quid est homo? quodlibet quassum uas, et quodlibet fragile; iactatu, non tempestate magna, ut dissiperas, est opus. Ubiunque arietaueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus, et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnem fortunac contumeliam proiectum; quem bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferae pabulum, cuiuslibet uictima; ex infirmis fluidisque confertum; et lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, aestus, laboris impatiens; ipso rursus situ et otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur; anxiac sollicitaque tutelae, precarii spiritus, et male haerentis, quem pauor repentinus adiectusue ex improviso sonus auribus grauis excutit; soli semper sibi nutrimentum uitiosum et inutile. Miramur in hoc mortem unius, qua singulis opus est? Numquid enim ut concidat, res magni molimenti est? Odor illi saporque, et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et sine quibus uiuere non potest, mortifera sunt. Quocunque se mouet, infirmitatis suae statimi conscientium, non omne coelum ferens, aquarum nouitatibus, statuque non familiaris aurac, et tenuissimis causis atque offenditionibus morbidum, putre, causarium, fletu uitam auspicatum: quem interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet! In quantas cogitationes oblitum conditionis suae uenit! Immortalia, aeterna uolutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit; quem interim longa comantem cum mors opprimit; et hoc quod senectus uocatur, pauci sunt circuitus annorum.*

Quapropter si mors omnium finis est et homines cinis et umbra sumus, qui superbus est maiorum suorum imaginibus, sciat necesse est

neminem fugere mortis imperium, horribilique barathrum; qui super cornua lunae credit ascensisse, sciat naturam homines gignere aequales ut superbiam a se auferat.

Eadem, alio libro inquit Seneca, omnibus principia, eademque origo; nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, et artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles sunt. Unus omnium parens mundus est: siue per splendidos, siue per sordidos gradus, ad hunc prima cuiusque origo perducitur. Non est, quod te isti decipient, qui quum maiores suos recensem, ubicumque illustre nomen defecit, illo deum infulciunt. Neminem despexeris, et etiamsi circa illum obsoleta sunt nomina, et parum indulcente adiuta fortuna: siue libertini ante uos habentur, siue serui, siue exterarum gentium homines, erige audacter animos, et quidquid in medio sordidi iacet, transilite: exspectat uos in summo magna nobilitas.

Quae ita esse ex eo colligitur quod gloria, quae hoc mundo comparatur, fluxa ac falsa, et nemo est quin hoc uideat, si Boecio philosopho assentire videamus dicente: Gloria uero quam fallax saepc, quam turpis est! Unde non iniuria tragicus exclamat: Ὡ δόξα δόξα μυρίοις δῆ βροτῶν οὐδὲν γεγωσι βίοτον ὥγκωσας μέγαν.

Plures enim magnum saepe nomen falsis uulgi opinionibus abstulerunt; quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso praedicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Iam uero quam sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non uideat? Quae si ad claritudinem refertur, aliena est. Uidetur namque esse nobilitas quaedam de meritis veniens laus parentum. Quod si claritudinem praedicatio facit, illi sint clari necesse est qui praedicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non sufficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo uideatur ne a maiorum gratia degeneret.

Sed ecquando te istam perniciosa superbiae rabiem relicturus? Desineres esse homo. Et quia homo es, nihil humani, fingis, a te alienum putas? Hoc excusare censes tuam ueram insaniam? Cogita ergo intra te ipsum, quia cinis uelis nolis es et in puluerem reverteris. Indue te nouum hominem et exue, sodes, uanam superbiam auorum et proauorum, nihil ad uitam aeternam ualentem. Sic, etsi non esset Horatius ex patricio sanguine ortus, nec Claudia familia, sed unus Romanorum quilibet pro patre salsa mentario, at magnus ingenio fuit in Latii litteris et est nunc habendus suo.